



**De Prima Scribendi Origine Et Vniversa Rei Literariæ
Antiqvitate**

Hugo, Hermann

Antverpiæ, 1617

Cap. XXV. De notis Tesserariis. Tessera vnde dicta? cuius materiæ, cuius formæ? quo diuersa à talis? Tesserae rotundæ. Quid militares? Quæ militarium tesserarum signa & notæ? Quid frumentariæ? Quomodo ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71265](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71265)

ret) finguli tabellam suam iniiciebant. Denique tabellæ simul omnes excernebantur à custodibus, qui ex iis suffragiorum omnium inibant numerum, eumque in tabulâ (ad quam positi dicuntur à Cicerone) punctis adnotabant. Hinc passim apud Latinos scriptores, elegantes & prisca illæ formulæ: Puncta ferre, Tribum ferre; pro, Habere suffragia.

Quando autem pro candidatis ibatur in suffragia; primam tantum literam è cuiusque cui suffragabantur nomine, in tabulâ adnotabant suffragatores; vt scribit de Comitibus Nicolaus Gruchius.

CAPVT XXV.

De notis Tesserariis.

TESSERAM, inquit Turnebus libro xix. cap. xxvi. à Græco τέσσαρες dictam puto, id est, quatuor: erant enim tessera olim frustilla lignea quadrata. Idem asserunt Lambinus in Cistellar. Plauti, Brissonius De signif. verb. Cælius Rhodiginus libro xx. cap. xxvii. Alexander lib. iiii. cap. xxi. ibidem Tiraquell. Et quidem de materiâ tesserarum lib. xvi. cap. xviii. Plinius: *Tesseris aptissimum ligustrum.* Dio scribit ab Hadriano tesseras lignneas sparsas. à Tito Vespasiano σφαίρια ξύλινα, globulos ligneos. Polybius, ξυλίνιον vocat tesseram militarem, quod Lipsius eleganter *ligellum* vertit.

De formâ verò quadratâ ex vocis etymologiâ constat; quamquam & lusoriæ tessera, sicut alex nostrates, sex lateribus constabant, quo differabant à talo, qui quadrilaterus erat; vt ex Mar-

riali

tiali Cælius & Turnebus admonent. Et subinde rotundas tesseras quasdam quidam fecerunt, vt Dio de Tito, Vespasiano, & Nerone, & Hadriano, & Domitiano.

Fuere autem varij generis tessera: Militares, Frumentaria, Numarie, Vestiarie, Lusoria, Viaria, Hospitales.

Militaris tessera, auctore Polybio, *σώθημα* seu *πατέρον*, *tabella erat latiuscula inscripta* (inusta certis notis aut formis, inquit Turnebus libro x i x. cap. xxvi.) *quæ sole occiduo à Tribuno accepta, ferebatur ad signorum principes, rursusq; ad Tribunalum redibat; vnde is omnibus esse datum signum cognoscebat.* Ita Marius pro signo tesserae suae vsurpauit Panem Deum, Nero Optimam Matrem, Sylla Apollinem Delphicum, Cæsar Venerem genitricem: alij verò verba, aut versus; vt de Claudio Suetonius cap. xlii. qui utebatur illo Homericò :

Ἄνδ' ἀπαμύααδ' ὅτε τις παρτέρῳ κλεπῶν.

Præter hæc signa, cuique tesserae inscribatur nota Ordinis, verbi gratiâ: H, Hastatorum, P, Principum, T, Triariorum: quod Lipsius lib. v. De Militiâ, ex eo colligit, quòd Polybius dicat, semper fuisse ex inscriptione deprehensum, cuius partis seu Ordinis tessera non esset perlata. Plurima verò alia de Militari tessera, quæ huc non spectant, scripsit Godescalcus ad librum secundum Vegetij, cap. vii.

Frumentaria tessera, certo frumenti numero inscripto, gratis dabatur populo. hoc enim solo differt à stellaturâ, inquit Lazius libro secundo, capite vltimo, quæ non gratis, sed vice stipendij dabatur, stellis notata, vnde nomen accepit.

pit. De illâ Perſius :

— *emeruit ſcabroſum tesserulâ far.*

De hac Lampridius in Alexandro , Spartianus in Peſcennio, Iuſtinian. Leg. Septem diebus. lib. xii. Cod. De erogat. milit. ann.

Numaria tesseræ, ſymbolum erat, quo ad Quæſtorem allato; nunni promiſſi congiario (hoc eſt dono Imperatoris) reddebantur. Suetonius capite xli. Octau.

Vestiaria, cui veſtium promiſſio certis notis erat inſcripta. Suetonius de Nerone, & Dio: *Aurum, argentum, variam veſtem; hæc dabat per ſymbola quadam & tesseras, &c. & reipsâ mox dabatur, quod quiſque eorum in tesserâ haberet.* idem Dio de Tito: *Globulos ligneos iaciebat, qui ſymbolum haberent; hic alicuius eſculenti, ille veſtis, &c.*

Laſoria tesseræ (quas, quia in tabulâ ſubſiliunt, lepuloſculos vocat Iſidorus lib. xviii. cap. lxxii.) oſcilla ſunt punctis ſeu ſignis notata; quibus binis ſimul aut ternis in pyrigo ſeu fritillo luditur. Dixi, binis aut ternis; quia ſemper paucioribus, quàm talis, vt monet Cicero in Diuinat. & Martialis lib. xiv. epigr. xvi.

Non ſum talorum numero par tesseræ. —

Erant autem hæ tesseræ ſex laterum auctore Cæſio lib. xx. cap. xxvii. Habebant enim binarium & quinarium ampliùs quàm tali; ſicut aſphalum erat octonùm laterum: de quo Alexander Neapolit. lib. ii. cap. xxi. Porro huic ludo tesserario (de quo librum integrum ſcripſit Claudius Imp. teſte Sueton.) non abſimilis fuit grâmiſinus, in quo ſexaginta calculi, partem albo, partem nigro notati, per *ſpamàs*, hoc eſt lineas, fritilli iaciebântur.

L

Vialis

Vialis tessera (vt eam Lipsius appellat lib. v. De Milit.) quâ iubebantur adornare itinera. Ammianus lib. XXI. *Per tesseram edicto itinere.* & lib. XXI II. *Misâ per Prouinciales numeros expeditionali tessera, cunctos transire iussit Euphratem.* Silius de Asdrubale:

———— *tacitum dat tessera signum:*

Dimisâ in colles pugna siluasq³ ferantur

Dispersi. ————

Hospitalis tessera. quâ ostensâ tamquam veteres hospites & amici, in maiorum suorum hospitia posteri accipiebantur, vt definit Stuckius lib. I. Conuiual. De hac Plautus in Pœnulo:

Deum hospitem ac tesseram mecum fero.

Hac mihi hospitalis tessera cum illo fuit.

Ergo hîc apud me hospitium tibi præbebitur.

quæ eadem ab eodem, & ab interprete Lactantij vocatur *fidei tessera*: à Tertulliano verò *contesseratio hospitalitatis*, lib. De Præscript. cap. xx. eratque signum, vt Baronius docet Tomo I. Annal. quo Christiani instructi passim ab aliis Christianis hospitio accipiebantur; quod cum hæretici per fraudem imitarentur, sæpè nouis formis & notis mutatum fuit; ac tandem literis commissum, quæ à Patribus Concil. Nicæni, vt docuimus supra, vocatæ sunt literæ Formatæ. Vide Zasium in Leg. I I. ff. De Orig. Iur. & Budæum Leg. Sed etfi. ff. De Iudic.

C A P V T X X V I.

De notis Sortiariis.

SORTIVM notæ, eruditè non sunt ignotæ. Accuratissimè de iis egit Martinus Antonius Del